

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> ACADEMICA

DE

*GENUINA NOMINIS JEHOVA (יהוָה)  
ORIGINE,*

quam,

CONSENSU AMPLISS. FAC. PHILOS. IN ACAD. AB.

PRÆSIDE

*JOHANNE BONSDORFF,*

*Litter. Græcar. Prof. Ord.*

PRO GRADU PHILOSOPHICO

*publico examini offert*

*CAROLUS DETTLAV. SIPELIUS,*

*V. D. Minister*

*Tavastensis.*

In Auditorio Philosophico die XIX Aprilis MDCCCXV.

horis a. m. solitis,

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

RESULTS OF THE INVESTIGATION

OF

THE ECONOMIC AND  
SOCIAL SITUATION IN THE  
GENERAL AREA OF  
OVIDIA

GENERAL ANALYSIS OF THE TRENDS IN THE  
GENERAL AREA OF OVIDIA

THE ECONOMIC AND  
SOCIAL SITUATION IN THE  
GENERAL AREA OF OVIDIA

GENERAL ANALYSIS OF THE  
GENERAL AREA OF OVIDIA

GENERAL ANALYSIS OF THE  
GENERAL AREA OF OVIDIA

GENERAL ANALYSIS OF THE  
GENERAL AREA OF OVIDIA



Ἄριστα λεγούσαι πάρεται τοῖς Φίλοσοφοῖς, τοῖς μη μανθανούσας οὐδέποτε ακεψιν ονοματῶν, κακῶς χρησθαί καὶ τοῖς προσγυμναστιν.

PLUTARCHUS in *Ily. & Osir.*

**Q**uemadmodum ex altera parte in confessu est, immortalium cum mortalibus, in scriptis veterum profanis, in primis vero carminibus Homericis, saepissime occurrentia colloquia, ex more priscorum, cogitata sua usque, praecipue autem praesenti fortique animo suscepta consilia, quia ex ipsis animi natura derivare nondum intellexerant, ad Deos, aut suggestentes & inspirantes, aut excitantes stimulantesque, transferendi, originem suam duce-re (a); atque etiam orbis antiqui Legumlatoribus

A lon-

---

a) Verissime jam monuit AMMIANUS MARCELLINUS (*Rer. gestar. L. XXI. C. 28.*), ex sempiternis Homeri carmini-

longe celeberrimis, ut nihil de Religionum dicamus auctoribus, leges suas divina informatione, ut tanto majorem sibi suisque statutis conciliarent auctoritatem, placuisse superstruere: ita neque ex altera parte negari poterit, frequentes inter Mosen & Jehovam in Peutateucho commemoratos sermones, laudat moris antiqui ratione habita, esse explicandos; tantoque minus vitio vertendum esse Mosi, quod ipse, Rempublicam Israëlitarum adornaturus religioneque & legibus temperaturus, cum Numine, cuius cultum civibus injungere studuit, e re sua duxerit simulare commercium, quo certius sit, apud Græcos, Zaleuchum a Minerva, Lycurgum ab Apolline, Rhadamantum & Minoëm a Jove, apud Romanos vero, Numam Pompilium a Dea Egeria, leges suas acceptas venditasse, similesque de Mnevi, Ægyptiorum, Zamolxi, Getarum, Zathraustoque, Arimasporum, nomothetis circumferri fabulas (b).

Le.

---

bus intelligi, non Deos cœlestes cum viris fortibus colluctos, nec adfuisse pugnantibus, vel juvisse; haud tamen minus superstitione, familiares genios cum iisdem versatos fuisse, statuit.

b) Cfr. de his omnibus Legumlatoribus, DIODORI SICULI Biblioth. Hist. L. I. C. XCIV. Edit. WESSELINGII, STRABONIS Geogr. L. X. p. 332, it. L. XVI. p. 524. Edit. CASAUBONI A. 1587, WALERII MAXIMI Dictr. memorabil. L. I. C. II, LIVII Histor. L. I. C. XIX.

Legentibus itaque nobis Exodi Capite III: Mo-  
sen, facta sibi jam a Deo patris sui, Abrahami, Isa-  
aci & Jacobi, Israëlitas ex Ægypto educendi promis-  
sione, initio quidem, quomodo grave adeo suscep-  
ret, administraret atque perficeret negotium, quid-  
que, si de nomine Dei istius interrogarent Israëlitæ,  
responderet, hæsisse dubium, at divinitus, & quidem  
viva Dei voce, confirmatum fuisse & edoctum; non  
tam credere fas est, hæc omnia, ut verbotenus au-  
diunt, re vera ita accidisse, quam potius, Mosen,  
postquam semel popularium suorum libertatem via-  
dicare eosdemque e fædisima, cui in Ægypto com-  
morati adsvevissent, idolatria ad unius Dei cultum  
revocare cepisset consilium, inter alia, quæ sibi in  
opere difficillimo peragendo obversarentur, dubia,  
etjam in illum, quonam nomine Deum huncce nun-  
cuparet, incidisse scrupulum, tandemque, hoc quo-  
que sibi evulso, Numinis, quod suo jam ævo, αν-  
υμως licet, coluisserent Patriarchæ, interpretem age-  
re, cultumque Ejus sub nomine *Jehovah* instaura-  
re (c), in animum sibi induisse, Exodi vero aucto-  
rem,

A 2

---

c) Collato Exodi Capite III. cum Cap. VI. v. 3, clare ad-  
modum patet, idem utique, quod Patriarchæ coluerunt,  
Numen, postea sub *Jehova*, antea ipsis inaudito, inno-  
tuisse nomine; indeque omnino sequitur, Patriarchas, ad  
instar Pelasgorum (qui olim quidem, teste HERODOTO  
*Histor.* L. II. f. *Euterpe*, Deos invocarunt, nulli eorum  
aut nomine aut cognomine, quippe quod nondum audiis-

rem, quisquis is demum fuerit, cogitata hæcce & dubia, ex more veterum narrandi dramatico, forma colloquii inter Mosen & Jehovam induisse.

Quæ vero cum ita sint, neque dubium esse poterit, quin Moses *Jehovæ* nomen, aut suopte ingenio finxerit, aut aliunde gentium transtulerit.

Perpendentibus tamen nobis, Ægyptios, ut πολιτεια & scientiarum cultura, ita & religione cæteras gentes præcessisse, nec Græcos solum, quippe quo-

---

sent, imposito, dein vero, multo temporis progressu, nomina ex Ægypto allata adsciverant), Celtiberorum (qui item, referente STRABONE *Geogr.* L. III. p. 13. Edit. supra cit., Deum quendam venerabantur αγανυμον), aliarumque antiquarum gentium (quarum Diis αγανυμε s. αγωσοις erēta altaria commemorant PAUSANIAS *Descr. Gr.* L. V. p. 412, Edit. KÜHNII, DIOGENES LAERTIUS L. I. Segm. 110., LUCIANUS in *Dialogo*, cui titulus: Φιλοπατερεis, Paulusque *Apostolus Ad. XVII. 23*), Deum adorasse anonymum. Quamvis etenim nomen *Jehovæ* in ipsa Patriarcharum sœpius occurrat historia, cave tamen hinc, ut plerique, etiam recentiores, volunt interpretes, credas, vocem istam Patriarchis notam fuisse, rem autem designatam minime. Multo namque probabilius est, editorem Pentateuchi, quia, postquam Ægypto jam exiissent Israëlitæ, omnibusque adeo innotuisset nomen *Jehovæ*, confectus est, nomen istud, etiam in memorabilibus Patriarcharum enarrandis, per prolepsin historicam usurpare.

quorum ex Ægypto antiquitus advenissent coloni, facra sua, immo Deorum, quemadmodum expresse testatur HERODOTUS (*d*), cognomina, ab avita hacce mutuasse gente, verum etjam Israëlitæ, utpote qui per plura secula in Ægypto commorati, indigenarum sibi dominantium sensim atque sensim, ut assolet, induissent mores, magnam, emigrantes tandem, rituum & ceremoniarum, quibus vere abundavit Mosaica Religio, partem, incidem traduxisse (*e*): in eam facile adducimur suspicionem, genuinam vocis *Jehovah* originem, in veterum Ægyptiorum theologia, cuius quidem mysteriis Mosen, ut in aula Pharaonea educatum omnique, vel Luca teste *Aet.* VII. 21, 22, Ægyptiorum sapientia eruditum, initiatum fuisse facile credideris, esse querendam. Tanto autem majori jure hoc quidem suspicamur, quod extra omnem dubitationis aleam positum sit,

Ægy-

---

*d)* l. c. & paulo superius, initio ejusdem Libri *Euterpes*.

*e)* Hoc utique plurimis exemplis satis superque docuerunt & comprobarunt Anglorum duumviri, SPENCER & MARS-HAM, ille quidem in opere doctissimo *de legibus Hebræorum ritualibus*, hic autem in *Canone Chronicus*; adeo ut frustra omnino sint, quæ VITSIUS in *Ægyptiacis*, pietate magis, quam argumentorum vi ductus, in contrariam partem disterat: "quasi (ut ait SPENCER L. c. p. 521.) ritus aliquis externus simpliciter & per se spectatus, melior esset quod a Patriarchis, aut pejor quod ab Ægyptiis aut aliis gentibus, originem derivaret."

Ægyptios, antiquissimis, quibus datum non erat (ut & per se difficile est) Naturam a Deo discernere, temporibus, inter alia, quæ coelo eminent, astra, Lunam, quia incrementa Nili omnemque proinde Ægypti fertilitatem ab eadem pendere existimatint, tempusque, non ad Solis, sed ad Lunæ cursum, determinarint, primitus sub simplici & proprio nomine *Joh*, dein vero sub *Iidis* cognomine, ut maximum omnium, ne *Sole* quidem sive *Osride* excepto, coluisse Numen (*f*), gravesque invadeant, ex ipsis Veteris

---

*f*) Quæ faciunt argumenta, collegit JABLONSKI in *Pantheo Ægyptiorum P. II. L. III. Cap. 1.*; ad quem igitur locum, ne adum agere videamus, Lectores tele-gamus. Haud facile tamen, Lunam, anno circiter 320 post exitum Israëlitarum ex Ægyptio, *Iidis* nomine donatam fuisse, nobis persuadet Clarissimus Vir. Ipsa enim de *Joh*, Innachi Regis filia, in Ægyptum translata *Iidis*que nomine culta, a JABLONSKIO recitata, fabula, fatis videtur innuere, vix ac ne vix quidem fieri regnante in Argolide Innacho, Moli, secundum vulgarem Chronologorum computationem, ætate minime posteriori, ortum fuisse *Iidis* nomen. Fluvii vero, qui ab eodem Innacho nomen traxerat, filiam cogitare, HERODOTI, cæteroruinque veterum Scriptorum, qui fabulæ hujus mentionem faciunt, non patitur auctoritas. -- Conferri cæterum merentur, quæ de Planetarum apud Ægyptios cultu observat GATTERER in *Commentat. de theogonia Ægyptiorum* (*Commentatt. Societ. Götting. T. VII:o inserta*), itemque, quæ de *Joh* atque *Iide* habent DUPUIS origine *de tous les cultes T. II. p. 460. seqq.*, & BANIER *Erläu-*

teris Testamenti oraculis petendæ, rationes, cultum  
Jehovæ ε σελινολατρεια Ægyptiorum ortum suum  
duxisse, ipsumque nomen e laudato Coptico vocabu-  
lo *Joh*, cum articulo *Pi-joh* (*g*), esse formatum.

Observare itaque liceat primo, quod caput est  
rei, nomen proprium *Jah* (יה), quo in sacris Veteri-  
nis Testamenti Bibliis passim, raro licet, appellatur  
Israëlitarum Deus, ab altero nomine *Jehovah* (יהוָה)  
nequaquam, ut vulgo postulant Interpretes & Lexi-  
cographi, esse decurtatum, verum contra, hujus, e  
Coptico *Joh*, quocum bene admodum concinit, ori-  
undum, videri etymon (*h*). Praeterquam enim quod  
loca

---

terung der Götterlehre u. Fabeln aus der Gesch. T. II.  
p. 31. seqq.

*g) v. La CROZE Lexic. Ægyptiaco-Lat. sub hac voce.*

*h) ROSENmüLLER in Schol. ad Jes. XII. 2. nomen יה  
ad Ægyptiacum refert ρω, indeque nomen *Jehovah* for-  
matum esse existimat. Hoc vero, satis quamvis notum  
esse judicet, undenam hauserit, ne conjectura quidem  
valemus aslequi, nisi θεον ρω, cuius mentio facta est in  
oraculo *Avollinis Clarii* (ap. MACROBIIUM *Saturnal. L. I.*  
*C. XVIII.*) in animo habuerit. Sed si vel maxime con-  
cedamus, quod neque per se a vero videtur abhorrens,  
Gnosticum oraculi hujus auctorem ad Deum Ægyptium,  
*Harpocratem*, respexisse; haud tamen facile quisquam,  
ipsum nomen ρω Ægyptiace esse originis, Harpocrira-*

loca Biblica, in quibus, aut junctim legitur utrumque nomen, & quidem ita, ut *Jah* per sequens *Jehovah* exponatur (*i*), aut etiam ut *nomen Dei* expresse declaratur *Jah* (*k*), omnem tollant contractionis suspicionem, nullaque reddi possit ratio, cur non frequentius scriptionis compendio *מָנָה*, si quidem re vera a nomine sic dicto tetragrammato eset contratum, usi sint ipsi Sacri Scriptores, aut saltem post eos Librarii; frustra omnino in lingua Hebraica, nisi genio ejus vim inferre tibi placeat, vocis *מָנָה* quæsieris radicem.

Dein vero tenendum est, aureum illum, sive potius ligneum auro obductum, quem, Mose absente, sibi relictus confecerat Aharon, Deumque suum, qui se ex Ægypto eduxisset, proclamavit populus, *Exodi Capite XXXII.* commemoratum, vitulum, in imitationem bovis, quem magna religione vivum apud se aluerunt atque soverunt Memphitæ, *Apidisque nomine ut sanctissimum Lunæ vel Isidis simulacrum*

---

tempore Mosis jam ævo innotuisse, probaverit. Cfr. interim de hac re JABLONSKI L. c, P. I. L. II. C. VI., & CUPERI *Harpochrates*.

*i)* v. *Tes. XII. 2*, &, si hunc locum ob critica dubia rejceris, *Tes. XXVI. 4*.

*k)* v. *Pj. LXVIII. 5*, 19.

crum adorarunt Ægyptii (1), prout nostra ætate,  
B præ-

(1) Negandum quidem non est, STRABONI (L. XVII. p. 555. Edit. cit.) *Apin* cundem esse cum *Oſride*; DIODO-  
RUM vero SICULUM (L. I. C. XXI. Edit. cit.), atque  
PLUTARCHUM (*de Iſide & Oſride*, oper. vol. VII. p. 496.  
coll. p. p. 430, 437, 452, Edit. REISKII), & *Apin*, &  
*Mnevin* (bovem Heliopoli nutriti & coli solitum), eidem  
*Oſridi* sacratos fuisse, ponere; sed horum, *Apin* & *Mne-*  
*vin* aperte, ut videtur, confundentium, testimoniosis jure  
opponimus AMMIANUM MARCELLINUM (L. XXII. C.  
XXXIII.), AELIANUM (*de animal.* L. XI. C. XI.), SUI-  
DAM (in *Lex.* sub voce *αρνις*), & PORPHYRIUM (ap.  
EUSEBIUM *præpar. Evang.* L. III. C. XIII.), quippe qui  
omnes uno quasi ore testantur, *Mnevin Soli* s. *Oſridi*,  
*Apin* vero *Lunæ* s. *Iſidi* consecratos voluisse supersticio-  
nem Ægyptiacam. Accedit, candicantem, quæ in *Apide*  
adesse debuit, maculam, testibus AMMIANO (l. c.) &  
PLINIO (*Hift. Natur.* L. VIII. C. XLVI.), *Lunæ* repræ-  
sentasse cornua, eoque ex argumento, *Iſidi* solummodo  
dicatum fuisse *Apin*, maxime videri probabile. Immo  
nec ablonum fuerit flatuere, bovem *feminam*, *Apide*, *ma-*  
*sculum* autem, *Mnevi*, esse intelligendum; testatur nam-  
que HERODOTUS L. citato, boves feminas, quia *Iſidis*  
simulacrum muliebre eset, bubulis præditum cornibus,  
quemadmodum Jo Græci describunt, Deæ huicce fuisse  
consecratas. — Quemadmodum vero *Iſis* Ægyptiis Nu-  
men fuit omnium maximum (quod quidem, præter argu-  
menta a JABLONSKIO l. c. proposita, satis superque do-  
cent HERODOTUS L. citato & APULEJUS *metamorphos.*  
L. XI.); ita *Mnevis* secundos post *Apin*, teste ipso PLU-  
TARCHO (L. c. p. 437.), honores obtinuit.

præeuntibus LACTANTIO (*m*), HIERONYMO (*n*), & ISIDORO HISPAL. (*o*), ponunt interpres, sine dubio, æque ac vitulos aureos Jerobeami (*p*), fabricatum fuisse; nullo autem explicari posse pacto, qui factum fuerit, ut ipse Summus Israëlitarum Sacerdos, Aharon, nulla legis Mosaicæ de non faciendis & colendis Deorum imaginibus (*q*) ratione habita, promptus adeo atque paratus ad morem populo, qui ut Deum sibi faceret efflagitasset, gerendum (*r*), *vituli*,

*m) Institut. Divin. L. IV. C. 10.*

*n) in Hof. Cap. IV. v. 15.*

*o) Originum L. VIII. C. II.*

*p) Cfr. I. Reg. XII. 26. seqq.*

*q) Occurrit hæc lex prima vice Exod. XX. 4.; Iæpius vero repetita est in Deuteronomio. — Hinc neque inepte observat STRABO (L. XVI, p. 523. Edit. cit.), Mosen affirmasse atque docuisse, Ægyptios non recte sentire, qui bestiarum ac pecorum imagines Deo tribuerunt — id vero solum esse Deum, quod nos & terram & mare continet — cuius profectio imaginem nemo — similem audeat effingere.*

*r) In eo quidem operosi sunt Interpres, ut doceant, Aharonem, Israëlitis flagitantibus palam relistere non asum, eos, quum ipsorum inaures peteret, detergere voluisse, ne in peccatum ruerent; verum hocce, a Judæis interpretibus, ut Aharonis quodammodo incruxstant cul-*

tuli, præ cæteris, quæ magna multitudine Diis suis  
Ægyptios consecrasse novimus (*s*), animalibus, simula-  
lrum Israëlitis adorandum apparare in animum sibi  
induxerit, nisi, idolo hocce, ad Ægyptium Lunæ ar-  
chetypon, *Apidem*, efficto, Israëlitarum quoque re-  
cens cognominatum Numen commodissime repræsen-  
tatum fore, eum censuisse, assumere tibi placeat.  
Quod si autem Lunæ imaginem Numini Israëlitarum  
exprimendo judicavit accommodatum, quid, quæsu-  
mus, aliud, hoc quidem arguit, quam Summum Sa-  
crorum apud Israëlitas Antistitem, qui utique, unde-  
nam egressa eslet Mosaica Religio, ignarus esse non  
potuit, natalia cultus *Jehovæ* ad Lunæ apud Ægyptios  
sacra retulisse.

Neque illud denique silentio præternittendum  
est, fundamentum legis Mosaicæ de nomine *Jehovah*  
sub pæna capitis non enuntiando (*t*), admisfa, quam

B 2 pro-

---

pam, excogitatum (vid. BOCHART *Hieroz.* P. I. p. 333.),  
interpretamentum, utpote e sacro textu minime haustum,  
nullam mereri videtur attentionem.

*s*) Cfr. PHILO JUDÆUS in Libro *de Decalogo*.

*t*) Nos quidem non latet, legem hancce, *Levit. XXIV.*  
16. occurrentem, de *blasphemia* *Jehovæ* vulgo explicare  
Interpretes. Huic tamen interpretationi cum maxime ob-  
sistet, vocem נְאָזֶן eadem utique significatione versibus 11  
& 16 occurrere, in priori vero commate, ubi verbum

proposuimus, nominis derivatione, intellectu videri facillimum. Vix enim aliud tum quidem, sanctione hacce memorabili, Mosis esse potuit consilium, quam ut indignam, cui multi adhærerent, saniori suæ de Deo ασωματῳ doctrinæ nimis quantum adversantem, τελινολατρειαν, vel ipsius nominis, quod lunæ per se ideam involveret, eoque forsan ipso conviciandi materiem Ἀgyptio, qui ansam dederat legi (u), præbuisset, usum interdicendo & ad morem Ἀgyptiorum

---

*maledictionis* proprium לְפָנֵי mox sequitur, *enuntiandi* sine dubio tueri non ionem, atque duriorem omnino vide ri ellipsis, si ad בְּקָרֶב v. 16. ab antecedenti oratione (v. 11. 15.) vocabulum לְלִקְרָב cum plerisque interpretibus subintellekeris; alteram interpretandi viam, quam ingressi sunt plerique veteres, omnesque Judaici, interpretes, vocabulum scilicet בְּקָרֶב hic, ut alias læpe, de pronunciatione solum esse intelligendum, præferimus. Atque opinanur quoque, ne sic quidem facile tritam hancce a veteribus viam deferere potuisse recentiores, nisi e Codice Mosaico legem sancti ne horrendam, cujus nulla in textu sacro adesse videretur ratio, voluiscent expungere. Hoc saltem certum est, illustrem MICHAËLIS, qui, in versione & notis ad h. l., Judaicos fecutus fuit interpres, postmodum, in *Mos. Recht* §. 251., dicta, quia major sibi videretur poena, quam culpa, retractasse.

u) Cfr. *Levit. XXIV*, II, seqq.

rum sanctum esse jubendo (*v*) præcaveret. Immo nec veri videtur absimile, legem modo allatam, primitus quidem nonnisi nominis *Jah* in communi vita usum respexisse, eamque fortassis ob causam, nomen hocce, licet antequam prodierat lex ista usitatum (*x*), postea ramen, in Pentateucho minime, in cæteris autem Veteris Testamenti Libris, prout prius, aut serius, cum jam in oblivionem venisset genuinus loci Mosaici sensus, exarati fuerint, vel nusquam, vel rarissime, Psalmos Davidis si exceperis, occurrere; Leviticorum vero editorem, quia originarium *Jah*, utpote lege ista vetitum, adhibere religioni sibi duxisset, illud cum synonymo *Jehovah* commutasse, eoque ipso, currente tempore, non modo Judæis, summam nominis *Jehovah* sanctitatem vindicandi, verum etiam Alexandrinis Interpretibus, utrumque nomen per κυριος ubique transferendi, ansam dedisse commodissimam.

Pone.

---

*v*) E PLATONIS *Dial. XIII.* de *Legibus* l. *Epinomi* conjiceret licet, nomen *Anubis* l. *Mercurii* sanctum adeo habuisse Ægyptios, ut, qui publice illud pronuntiasset, omnem religionem profanasse vidretur. Atque idem quoque innuit CICERO *de natura Deor. L. III. C. XXII.* his verbis: "Quartus" (Mercurius) "Nilo patre, quem Ægyptii nefas habent nominare."

*x*) Cfr. *Exod. XV, 2. XVII, 16.*

Ponere ergo convenit, ultimam vocis *Jehovah* originem e Coptico *Joh* derivandam esse; Mosen vero, ut suorum quoque auribus, quibus nonnulli nomina placerent significativa, satisfaceret, nomini huicce notionem *existentiae*, quasi e radice Hebraica יְהוָה descendenter, subjecisse (y). Veremur tamen, ne in hac quoque etymologia videatur αἰγυπτιαζων. Si enim genuina est & satis antiqua, quam Minervæ sive Isidi tribuit græceque exhibet PLUTARCHUS (z), Templi Saitici inscriptio: εγω εἰμι παν το γεγονός, καὶ οὐ, καὶ επομένου καὶ τον εμον πεπλόν οὐδεις πω Θυτος απεκαλυψεν (aa); vix dubitamus, quin Moses ideam τας ουτος ex Ægypto quoque traduxerit. Improbabile saltem est, Ægyptios, quos quidem priscis temporibus — seniora namque, sub Græcorum & Romanorum dominatione, secula, quibus originalis Ægyptiorum jam periisset genius, nihil moramur — Israëlitas maximo & odio & contemptui habuisse novimus

---

y) Cfr. *Exod.* III. 14. 15.

z) *de Iude & Osride* p. 396. Edit. cit. — Occurrit quoque eadem hæc inscriptio apud PROCLUM L. I. in *Timorum Platonis* p. 30.

aa) Cfr. quæ de celeberrima hæc inscriptione disputant CUDWORTH in *System. intellect.*, venerabilissime Editor MOSHEMIUS, p. 398. seqq., JABLONSKI L. c. P. I. p. 65. seqq., atque MEINERS *Versuch über die Relig. Gesch. der Ägyptier* p. 285. seqq.

mus (*bb*); Mosaieam nominis *Jehovah* interpretationem ad suam *Iudem*, ut MICHAËLIS (*cc*) & post eum ROSENMÜLLER (*da*) asserunt, transtulisse. Quidquid sit, negari non poterit, Mosen, ad res suas & consilia apposite, itemque ingeniose, *Jehovæ* nomen explicasse. Cave tamen in nomine hocce tantum ingenii quæras acumen, ut tria eidem inesse tempora, *Jod* scilicet e futuro petitum, *cholem* e participio (quo Hebræi præsens indicant tempus), & *Kamets* e præterito, ita ut nomen illud eum designet, *qui idem semper fuit, est, eritque*, quæ artificiosa magis quam vera est multorum interpretatio, statuas. Ut enim taceamus, Masorethicam nominis *Jehovah* punctuationem perquam esse dubiam (*ee*), longeque ab eadem distare, quæ apud Exoticos obtinuere, pronuntiandi rationes (*ff*); nulla certe, neque in Pentateu-

---

*bb*) Cfr. SPENCER *L.* c. p. 532. seqq.

*cc*) *Suppli*. ad *Lex. Hebr.* p. 524, 25.

*dd*) *Schol.* ad *Exod.* III. 14.

*ee*) Cfr. quæ hanc in rem disputata sunt in *Decas Exercitationum Philol.* de vera pronuntiatione nominis *Jehovah* c. *præfat.* RÉLANDI, & CLERICI *Commentar.* ad *Exod.* III. 15.

*ff*) Sic ex gr., Tyriorum, alii, ut e PORPHYRIO & PHILO-  
NE BYBLIO (ap. EUSEBIUM *præpar. Evangel.* *L. I. C. V.*  
& *X.*) discimus, nomen *Jehovæ* extulere *ευω*, alii ve-  
ro, ut CLEMENS ALEX., (*Stromat.* *L. V.* p. 562. oper.)

tencho, nec in cæteris Veteris Testamenti Libris, argutæ adeo interpretationis occurunt vestigia. Autorem vero Apocalypseos Johanneæ, verbis, æternitatem Dei desribentibus, ὁ ὦν, καὶ ὁ νῦ, καὶ ὁ ερχομένος Cap. I. v. 4., laudatam nominis *Jehovah* interpretationem respexisse, non magis probabile est, quam versum, cuius meminit PAUSANIAS (gg):

*Ζεὺς νῦν, Ζεὺς εστι, Ζεὺς εσσεται, ω μεγαλε Ζεύς*

idem sacrosanctum, in *Jovem* translatum, spectare nomen. Verum esto quoque, prægnantem nominis *Jehovah* significationem menti Johannis re vera obversatam fuisse; inde tamen nihil aliud sequitur, quam, suo jam tempore, invaluisse hanc, EPIPHANIO (hh) quoque placentem, explicationem.

testatur, ιων. Samaritani vero, teste THEODORETO (Quæst. XV. in Exod., opp. T. I. p. 86., coll. L. V. Hæret. fabul. Cap. III. de Spiritu S. opp. T. IV. p. 760), idem nomen expreserunt per ιωβε five ιωβαι. DIODORUS autem SICULUS (L. c. C. 94. Edit. cit.) Iraëlitarum Deum vocat ιωω. Alii vero extulere aliter,

gg) *Descriptio Græciae* L. X. C. XII.

hh) *Advers. hæres.* T. III. L. I., ubi & *Jehovæ* nomen græcis litteris ιωβε audit.